



Hercules Alemannus Germaniæ magnæ rex fuit, rebusq; potiebatur anno sexcētesimo septuagesimo quinto post diluvium, cum populus Israhel in Aegypto graui seruitute premeretur, atque Mancaleus decimusquartus Assyriorum Monarcha esset. Is multa præclara facinora perpetravit, ac uiuum leonem cathena ligatum passim secum circumduxit, & ipsius leonis imaginem in clypeo habuit, ut inuictum animum ad fortissima queq; opera subeunda ex insignibus demonstraret. Hinc potea Germanis principibus frequens fuit leonis insignia gentilitia usurpare. Erant autem eodem fere tempore plures Hercules utpote Lybicus, Celticus, Italicus, & huiusmodi, qui passim fortia sua facta declararunt, quæ postea inscia posteritas uni assignauit. D. Hieronymus & Eusebius arbitrantur Herculem Alemannum inter reliquos fuisse primum. Nam iustitia & fortitudine multis Barbarorum gentes in ordinem redigit, & legibus uiuere assuefecit. Cum itaq; summa æquitate res Germanorum administrasset, ab iisdem post mortem inter deos relatus est.